



37.  
*Quod Deus feliciter fieri concedat.* 34

DISPUTATIONEM POLITICAM  
DE

SUBDITIS,

*Sub Praesidio*

MAGNIFICI ACADEMIAE MARCHICAE  
RECTORIS,

DN. JOHANNIS SIMONIS,

SS. Theologiae Licentiati, Logicae ordinarii, Me-  
taphysicae extraordinarii Professoris Publici;

DANIEL FRIDERICUS SCHMIDIUS,

Suevo-Coloniensis Marchicus,

AUTOR ET RESPONDENS,

In Celeberrima Francovadana Universitate,

*Defendendam publicè suscepit*

In Auditorio Philosophorum majori horis consuetis.

*ANNO 1664. die 30. Januarii.*

---

*Frankofurti ad Viadrum,*

Typis JOHANNIS ERNESTI, Acad. Typogr.

MAGISTRI OTTONIS TERTII

Vici

*cap. 2, Gravissimae - Epistolae, m. 129*  
*Prophetiae*

2. MICHAELINO Sclero

rectori Universitatis

GEORGIO Sclero

rectori Universitatis

3. MICHAELINO Sclero

MICHAELINO SCHILLINGIO

rectori Universitatis

4. CHRISTOPHERO FRIDERICO

rectori Universitatis

*cap. 2, Gravissimae - Epistolae, m. 129*  
*Prophetiae*

5. MICHAELINO Sclero

rectori Universitatis

Aut. & A. 170

6. MICHAELINO Sclero

rectori Universitatis





## A. C.

**I**mparare quam regi malle, hominis esse, insipidis placet. Utrumq; ei separatim interdum, interdum simul competere, asseritur rectius. Etenim non eandem indolem omnibus natura concessit. Dominari alii naturâ decet, neq; dedecori alii, imperata facere; Alter alterius presentiam indiget, non tamen dubia res quod alius alii longè præstet; Quippè turpè esset negare hoc quod parentem Imperans dignitate antecedit multum. Verùm vix decisa res utrius conditio amplectenda. Hominum nam natura ea arrident plerumq; à quibus laborum & molestiarum cura remota, quibus autem carere Sceptra tenentes nequeunt: Eligitur enim Rex, non ut se molliter curet, sed ut per ipsum ii, qui elegere, benè beatèq; agant. Omnium somnos illius vigilantia defendit: Omnium otium illius Labor; Omnium delicias ipsius industria; Omnium Vacationem illius occupatio. Ideò remissum aliquando animum habet, nunquam solutum. Assidua ipsi cura sit, quæ justitia æquitatisq; valor in Imperio non sit exiguus, quibus absentibus, Regnum haud obrinetur quietè, Ipsisq; conveniens, die pariterq; nocte sollicitum esse & intentum, ut parentium felicitas floreat indefinenter. Ope non minimâ illum niti decet, quo Reipublica Salus queratur. Regnantis munus est, providere, ne Regnum præsidii munimentisq; sit destitutum. Nec legibus solum, sed & armis oportet esse armatum, quibus damnum minantes hostes summovere valeat. Intestina ne pericula metuere habeat, maximè studendum; Cavendumq; præterea, ne perniciem ipsi machinentur maligni. Tàm firmum enim nihil, cui periculum non sit ab invalido, cum & Leo interdum minimarum avium pabulum fiat. Tot tantisq; curis obruti Dominantes! Hanc ob rem vix satis constat, unde tam multis regnandi cupido? Quare maximum bonum in imperio maximo mortales putent? Contra barum omnium curarum expers, cui parere incumbit; Etenim ut ipsi benè sit, primarium negotium est; Bellum cum non infert, nec idem expectare habet. Plurima abunde sci-



ens si parere non ignorat. Idcirco Principis si potestati subiectus, noli legum frenum excutere, & ad libertatem adspirare illicitè. Regibus summum Imperium dedit DEUS. Subditis obsequii gloria relicta: Concupisce obsequium cum securitate, quam regnandi potestatem cum pernicie. Cave credas turpè esse, regi, pessimus quisq; asperrimè Rectorem patitur, contra boni, mites sunt & obsequiosi; Quod subditos omnes optimè ornat, & ab omnibus requiritur. Quibus de subditis, eorumq; requisitis disquirendum porrò.

## SECTIO I. NOMINALIS.

**P**RIUSquam rei prædictæ initium expediatur, paucis proferam præmissa necessaria, quo ad cognoscendum omnia, magis magisque in aperto sint. De subditis fari in præsens in animo est, igitur Vocabuli sensus quotupliciter capiatur considerandum, dicendumque quomodo accipiatur hic. Usurpari verò vocem participialiter vel singula Lexica approbant, idemq; significare quod suppositus. Usitatius autem accipitur pro eo, qui ratione vel bonorum, vel personæ sub Imperantis potestate existit. Nos propriè dictum subditum illum vocamus, qui ratione vel personæ tantum vel ratione bonorum simul alicujus potestati subest; illâ significatione, quâ is, qui ratione bonorum tantum subditus existat, ad æquivocationem relegatâ. Quemadmodum ex dicendis abunde patebit.

§. II. Vocem hanc non simplicem sed compositam esse, vel pueris cognitum est; Quippe originem suam verbo Do debere & præpositini sub uberrimè patet, nullum igitur indicium, quod vox hæc ortum suum habeat aliundè, quam de traditis. Idcirco de eius derivatione laborare diutiùs, vix operæ precium.

§. III. Idem qui subditi, non absurdè incolæ interdum vocantur, item Cives ut ex *Besoldi* verbis in *Synops. Polit. lib. 1. c. 15. §. 2.* apparet. Quamvis inter subditum Civemque differentiam nonnunquam ponere Politicos delectat.

## SECTIO II. REALIS.

### EJUSQ; SUBSECTIO I.

**A**Lias passim ab autoribus traditas descriptiones aut definitiones præterimus, & Subditos eos dicimus, qui sunt partes Reipublicæ.

ca, quæ summæ potestati quo ad omnia sua obligantur, pro quo omnibus juribus & privilegiis Reipublicæ vicissim fruuntur. *Arnif. in Polit. Lib. 1. c. 12.* Hanc verò definitionem omnibus competere subditis nullatenus consentio, cum propriè dicti dentur & impropriè subditi, secundum *Liebenthal. in Colle. Polit. dissert. 15. in princ. & Cellar. in Polit. Lib. 2. c. 18 §. 4.* Hi qui non ratione personæ, sed bonorum ratione tantum alicujus imperio subjecti existunt, veluti Vasalli quidam, quibus Feuda inalienâ ditioe possidentibus, verè subditi nomen non concedimus, nec prædictam ab *Arnif.* definitionem attribuimus. Isti qui ratione vel personæ tantum, vel ratione personæ & bonorum simul alicujus imperiò subsunt. Strictius *Wurmbs. in Exercitat. Acad. ex jure publ. in Exercitatione 4. §. XI.* subditos accipit, cum subditos vocat imperii omnes qui commune habent domicilium, quod imperii dicitur, quiq; legibus & constitutionibus Imperialibus subjecti sunt, Rectius distinguimus cum Cellario inter Subditos Mediatos Immediatosq;e. Priores qui sub supremi quidem potestate, attamen inferiori Magistratui obedientiam denegare nequeunt. Posteriores qui immediatè summi in Regione jussu observare, eiq; soli obtemperare tenentur.

§. II. Disquisitu dignum, quum subditos diximus, qui summæ potestati quoad omnia sua sunt obligati, num ii imperantium Servi? Affirmativam opinionem quod quis tueri posset dubito, licet decursa secula consideret, ubi quendam Regem fuisse apparet ex *Plutarch. in Lib. ad Princip. Indol.* qui cunctos in Imperio pro servis habuit. Exempla quoq;e de Turca & Muscovita haud profunt, cum in Imperio Romano hoc valere vix statuatur quod observatur ibi. Etsi Obsequium, honorem pariter & reverentiam Principi debeant, igitur in Numero Servorum existere subditos, absurdum foret si diceremus. Nec exinde quidquam probetur, quod subditi humilitatis causa erga superiorem tales se profitentur nonnunquam. Quam ob rem firmum permanet, subditos non esse servos, neque à serviendo dictos, cum ii servi dicuntur, qui pretiò certò acceptò serviunt, nec à servando, quia moderni captivi inter Christianos haud servi fiant, quippe servitus antiqua durare desiit.

§. III. Duorum pluriumve Dominorum propriè subditum esse posse meritò rejicitur, cum duobus Dominis juramentum sub-

jectionis præstare nequeat, quippe contingere posset, ut dominus hic, hoc præciperet, contrarium alter, tunc ut, duobus pareat simul, haud fieri potest. Arma quoque si princeps adversus principem verteret, subditos tum utriq; salvâ conscientia adhærere posse absolum videtur. Uti enim Civis duarum Civitatum civis esse non potest, secundum *Aristot. 2. Polit. 6.* cum fieri nequeat, ut in duabus simul ædibus verum habeat domicilium. Ita & subditus duorum dominorum propriè subditus non existere potest: Omnia enim sua Domino unusquisque debet subditus, quod, quia duobus simul præstare difficillimum, ita duorum simul propriè subditus esse nequit.

§. IV. In numerum subditorum Peregrini ex aliena Regione migrantes an recipiendi, hic quærimus? Inter Politicos quidem controversum olim: Etenim Lacedæmonii & Athenienses receptaculum iis denegabant, subditorum juribus frui & privilegiis, haud concedentes, hancque foventes rationem, à peregrinis plerumque peregrinos mores affricari indigenis. Cæterum contrarium defendere libet, quod non sint repellendi, si bonæ sint rationes, nec malæ famæ, vel Relligionis causa domicilium deserere coacti, & certæ Civitatis Legibus se usuros promiserint. Ad quam sententiam accedere quoque videtur *Hugo Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 2. §. 16.* Affirmans, externis sedè suâ expulsis, receptum quærentibus perpetuam habitationem non esse denegandam, dum & Imperium quod constitutum est subeant, & quæ alia ad vitandas seditiones sunt necessaria.

§. V. Judæos è subditorum consortione planè delendos, negantium opinionem sequi inclinatur animus, quamvis *Limn. de J. Publ. Lib. 3. c. 2. & Wurms. in Exerc. 4. §. 18.* contra sentiant. Etsi res furtivas, viq; rapta emant, pignori accipiant, occultent, & fœnus ingens in Christianos exerceant, hoc etiam in Christianorum quorundam moribus positum, manifestum est, rarò tamen hanc ob causam è numero subditorum exclusos eos accepimus. Dein vitia quæ à Judæis fieri dicuntur, severâ legè coerceri & corrigi possunt.

§. VI. Si omnes subditi in Imperio unius vitæ conditionis essent, nec ipsis nec Principi conduceret. Sic enim qui alteri serviret esset nemo, & cuncti cum artem mechanicam profiterentur,



tur, foret nullus, qui Magistratus munus optimè subire posset. Absq; magistratu autem subditorum conditio pessima. Si quisquam non ipsis præest, qui eos regere prudenter sciat, perniciës subditorum & interitus haud longè abest. *Aristot. L. 5. Eth. 5.* ab antea allatâ opinione vix recedit, dum inquit non ex solis Medicis sed & Agricolis constare Civitatem: Quibus verbis indicare ipsius mens, Civitatem haud existere perfectam, nisi ex variis generibus homines insunt, qui conditionis sint diversæ, *Golius in Polit. Lib. 7. c. 8.* Multo minus utilitatem pareret, totius Regionis incolæ si unius vitæ essent conditionis. Eum enim in finem conditi sunt homines, ut alter alterius opè utatur, quod fieri non posset, si omnes pares, nec alius alio vel inferior vel superior foret.

## SUBSECTIO II.

**L**egitime imperanti parere eumque honore & amore complecti, Lexigitur à subditis, Omnia autem excluduntur, quæ pietati & honestati sunt contraria; Tale quid si injungitur, respui posse à subditis, Sacræ Literæ non prohibent. Hominum enim præceptis semper præferendum DEI mandatum, quod mala peragi vix jubet.

§. II. Venerari Magistratus, quoniam subditorum est, sciendum, num jura superioritatis vel Regalia habere possint? Utrumq; eis concedi potest, per se verò subditi quatenus subditi neutrum vindicare sibi possunt, nisi ex concessione his juribus gaudeant, vel per præscriptionem Regalia acquisivère, at sic subditorum rationem amittunt.

§. III. Legum idcirco ferendarum potestas penes subditos nullatenus: Præcipuum namque & essentielle proprium est Majestatis, leges ferre. *Hyppol. de Lap. par. prim. c. 2.* Legis autem essentia consistit in hoc, quod sit jussum à summa potestate promulgatum. *Arnif. Polit. Lib. 1. c. 17. de ll.* Ideò legum condendarum auctoritatem subditi quatenus tales, non habent, cum parentium est accipere, non verò dare leges.

§. IV. Abrogare Leges posse subditos generaliter defendi nequit, cum ejus est abrogare leges, cujus est jubere, tamen ex *l. 32. §. 1. ff. de ll.* concludere licet, subditis abrogare Leges non prohibita

hibitum planè, cujus legis verba hæc. Rectissimè etiam illud receptum est, leges non solum suffragio Legislatoris sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogantur.

§. V. Haud probatu facile quod licitum sit subditis, indultu superioris non accedente, monetam cudere, cum inter Majestatis jura similiter conseatur jus cudendi monetam. Facultatem tamen hanc ipsis indulgere posse, statuitur à Politicis. Quæ potestas præter Principem nemini licuit olim. *Clapmar. de Arcan. Rerum publ. L. 1. c. 16.*

§. VI. Vectigalia ordinare subditis conveniens falsò dicitur. Etenim ad Majestatis jura potestatem circa vectigalia pertinere manifestum est. Penes itaque Principem solum est, vel eos qui in Republicà Principatum obtinent: Et Vectigalia sine Imperatorum Præcepto, neq; Præsidi, neq; Curatori, neq; Curia constituitur, nec præcedentia reformare, & his vel addere vel diminuire licet. *l. 3. C. Vectigal. Nov. instit. non poss. L. unica §. 3. ff. de L. jul. Amb.* Quam potestatem adhuc in Imperio Imperator & Electores sibi vindicant, cujus rei probationem ex *Capitulat. Ferdinandi III. artic. 20.* discere habemus. Hujus tenor hic. Wir sollen und wollen auch insonderheit/ dieweil die Teutsche Nation und das Heil Römische Reich zu Wasser und zu Lande/ zum höchsten bishero damit beschweret/ nunmehr keinen Zoll vom neuen geben/ noch einige alte erhöhen oder prorogiren lassen/ auch vor uns selbst keinen auffrichten oder prorogiren ohne besonder und zwar Collegial Rath/ Wissen Willen und zulassen der bemelten sechs Churfürsten wie vor und offst gemelt.

§. VII. Jus Magistratus inferiores constituendi simpliciter non datum subditis, *l. un. in Princ. ff. de L. jul. Amb.* Illud in Regno Rex proprium alterius præter se esse haud indulget, neque in Aristocratiâ Optimates sibi hoc præripere patiuntur. Nec in Politia usu venit, eo quod ordinari Magistratus haud opus sit, cum totus populus ibidem magistratus existat, diverso tamen respectu. In nostra Republ. Roman. Germanica status unusquisque in suis Provinciis constituendi Magistratus potestatem habet. *Cellar. in Polit. L. 2. c. 9. §. 2.*

§. VIII. Summi Magistratus Ordinatio competit subditis, sed non in unaquaq; Republ. In Regno Electivo magistratus superior

rior à subditis eligitur per Electionem, quæ summum Imperium demandandi legitimus modus est. In Regno ubi successio obtinet, jus supremi Magistratus ordinandi subditis ademptum.

§. IX. Obiter adjiciendum, Subditis ne expediat, Magistratus Supremus si vel succedat vel eligatur? Utilius esse ipsis si eligatur, sunt qui affirmant, hisce nitentes fundamentis. I. Eligentes ut optimus Imperans fiat intendunt. At successionis ubi usus, plerumque iis delatam potestatem accipimus, qui nec parere didicere nec regere, quorum animi malis artibus imbuti, & hinc vitiis pessimis non caruere. II. In Electione quis eligatur, non ignorant Electores, ideò nemo subditis præfici potest de cujus moribus viraq; non esset cognitum. Cæterum à successionem fraudes haud absunt. Quo alicui fiat Imperium per successionem, mentitur familiam, alteriusq; nomen sibi tribuit. Probatio augeri potest Historiis, de Pseudo Scmeride, Pseudo Woldemario, Pseudo Friderico, Pseudo Baldvino. III. Per Electionem communis libertas manet tuta, nam Electo præscribere leges mos est, quas observare Regnans strictè tenetur, nec prius ad Reipubl. tutelam admittitur, quam in leges ipsi præscriptas juraverit, sed succedenti subditorum libertas infesta est, & ut eam minuat, quotidie ipsi cura est, hinc neminem quoque existere patitur qui nimium excellat opum copiâ. Præterea succedenti dare leges contra jus fasq; æstimatur, igitur utcunq; vult regit. IV. Ut per Electionem, quisquam fiat summus, probitati virtutibusq; studet. Contra cum succedentibus Regnum non incertum virtutè acquirere illud minus incumbunt, & deinde regere rectè nescit subditos. Quare subditis utilius ut per Electionem regnantes ascendant ad imperium. At opinionem prædictæ adversam tueri libet, igitur ad singula præmissa responsum dabitur. I. Non semper Eligentium cura ut eligatur bonus, donis namq; Electores possunt corrumpi facillimè, ut tradant Regnum ei qui aurum dedit, etsi pessimo. Postea non movet quod administratio indignis interdum deferri soleat, & quamvis exemplis hoc fieri nonnunquam doceamur, etiam in contrarium non desunt exempla, quibus probatio fieri possit, malos impiosq; electos esse. Deinde generalem conclusionem esse negamus, quod semper maligni succedant. II. Falsum quod Eligentibus natura Eligendi probè constet, sæpe enim de-

B

cipiun-

cipiuntur & Ipse de Electo decollat postea, nam essimus quisque  
optimi speciem præferre callidè potest. Fraudes verò in successione  
consiliariorum prudentiâ possunt evitari facilè. III. Electo Rege  
subditorum libertatem non semper manere firmam ex tradenda ra-  
tione apparet, nam ne quo inferiores à libera regnandi potestate  
arceant eum, ejus studium persæpe, ne vires extollere valeant, qui  
elegerunt, & licet condiciones proponantur, quas observare, Ele-  
ctus asseverare tenetur, postea cum potestas stabilita, quod libeat  
observat. Et planè risu dignum succedentes subditorum liberta-  
tem divitiasque minuere, de Electis hoc perhibetur potius, quippe  
ratio promittit, quod tantum ad certum tempus ad nos spectat, &  
incertum est ut illud posteris proximis tradatur, hoc curamus levi-  
ter, & anxie nitimur ut commodum exinde nobis proprium pare-  
mus, quamdiu sub nostra potestate quidquam existat; Quod verò  
nobis proprium nos tuemur fovemusque sedulo. Igitur minus ne-  
cessarium, ut accipiant leges qui succedunt, cum malè rem propriam  
tractare rarum. IV. Non contradicimus prorsus virtutibus litare  
quosdam quo eligantur, aut accepto Regno easdem exuisse, non raro  
percipimus, & vana de succedentibus opinio, quia se regnatos  
non ignorant, igitur vitia amplectuntur, fugiuntque virtutes, exem-  
plorum copia quæ adduci posset huic assertioni repugnat. Hisce  
refutatis, peculiare notandæ veniunt rationes, quare subditis utili-  
orem esse successionem statuamus. I. Quia subditi consueto Do-  
mino obtemperant libentius, quam alteri qui per Electionem ipsis  
obtruditur, ex familia interdum non satis cognita. II. Quo in Re-  
gno successio obtinet, quis futurus Dominus Imperii sit, satis aper-  
tum, & vix quisquam conatur ad se transferre Regnum. At cum  
eligendus imperans, dolo hic, donis alter præparat ut eligatur; Bel-  
lum quoque civile hanc ob Electionem raro emanere solet. III. Sub-  
diti magis ferè venerantur succedentes, cum non ex parente infi-  
mo & obscuro nati, quam Electos, qui in ordine interdum inferio-  
rum vixerunt, quippe contemptum parit æqualitas. IV. Regnan-  
tibus iis qui Electi, seditiones persæpe fieri solent. Quamprimum  
modo subditi opinantur leges Electis datas non observatas esse,  
seditionis causa adest, nec ipsa emanet seditio. Caterum quietius  
degunt sub succedentium potestate subditi, nam non transcunt le-  
ges

ges Imperantes, quia nullæ datæ sunt, nec dari necessarium, cum ut monitum supra rei propriæ damnum inferant paucissimi. Aliis jam rationibus sepositis ex hisce adductis concludere licet, subditorum statum existere meliorem, si Magistratus summus succedat.

§. X. Ut ordinis ratio habeatur, ad res primarias revertimur iterum. Prolatum ante hæc, Subditorum esse, sed non semper, Summi Magistratus dignationem alicui assignare. Ast non perinde adferimus de inferioris Magistratus ordinatione, quam ubiq; subditis attribui posse, negatum penitus: Porro tradendum quod eosdem abdicare subditi tanquam subditi non possint, summi Magistratus jussu vel concessu absente: Cujus nam ordinare Magistratum inferiorem, ejus & abdicare esse, non negatur. Contra subditi qui faciunt, rebellatores justè vocandi, quare à superioribus possunt affici pœna ordinaria.

§. XI. Appellandi verò privilegium ab inferioribus ad Superiorem Magistratum subditis non denegatum reperitur. Attamen minime conceditur appellatio ad superiorem missa priori magistratu, medioq; præterito. Omnis enim appellatio ab infimo Magistratu ad superiorem in proximo ordine regulariter facienda est per *l. Imperatores 21. ff. de Appellat. & Relat.* Concordare videtur *Ordinat. Cam. part. 2. Tit. 29. §. 1.* Ubi infertur, *Es soll keine appellation an dem Kayserslichen Cammergerichte angenommen werden / die nicht gradatim geschehen / und die nicht einen nähern Richter gehabt.* Hoc verò studentibus remissum affirmat post alios *Arxer in Process. hist. part. 1. c. 4. observat. 4. n. 9.* his semper medio Magistratu præterito ad Principem appellare licet.

§. XII. A Magistratu superiori provocare subditis quoque licere, sed non ubivis, nullatenus ambiguum. Quondam in ditione Electorum degentibus hoc nequaquam concessum apparet ex *A. B. Tit. 11.* nisi in casu denegatæ justitiæ *Ord. Cam. part. 2. Tit. 26. §. 1.* Hoc tamen jus omnibus Electoribus nullatenus competit hodiè, nam contrariâ consuetudinè introductum, ut ab eorundem sententiis hodie apelletur. Excepto Saxonix & Brandenburgensi Electore qui illud adhuc in virida observatione observant, *Reinkingf Lib. 1. cl. 4. c. 6. n. 2.* ut & Archiduces Austriæ *Carpzov. in L. Reg. Germ. c. 9. Sect. 8. n. 5. Sprenger. in synop. J. publ. 6. II. p. m. 268.* tradit rationem

nem quare reliqui Electores jus de non appellando amiserint, dicēdo, huic privilegio tacite ex humanitate, ne quis de denegata justitia conqueri posset, appellationes ad Cameram admittendo, renunciarunt.

§. XIII. Jus vocandi ministros Ecclesiarum subditis competit at non solis, nec Magistratui soli sed toti Ecclesie *Besold. in Synop. Polit. Lib. 1. c. 2. §. 16.* Pœnam verò vel supplicium ab ipsis sumere malum facinus illis patrantibus, non Subditorum, sed ejus est, qui Magistratus aut Inferioris aut superioris partibus fungitur, nec remove eosdem à sacerdotio Subditi possunt.

§. XIV. Salvum conductum concedere subditi nemini possunt, nam salvus conductus est præstatio securitatis per viam publicam, via autem publica inter Regalia refertur, *tit. 56. in princ. Feud. 2.* Ideò ad Principem hoc jus Salvi conductus præstandi pertinet, vel ad eum cui concessit Princeps.

§. XV. Legatos mittere Subditis vix competit, cum Regale & Majestatis jus statuatur, quo jure cum minimè subditi gaudeant, nec Legatos mittere possunt. Et nunquam evincunt, tamen hoc Subditis competere affirmantes, quoniam Civitates Imperiales Legationis jus habent, quæ Romanum Imperatorem superiorem agnoscunt. Sed sciendum Imperiales Civitates inter status Imperii computari. *Wurmfs. Exercit. 1. §. 20.* Igitur majora minoraq; jura superioritatis habent, quare nil impedit quominus jus Legatos mittendi usurpent, eo scilicet modo quo Imperii Princeps.

§. XVI. Recipere Legatos subditis pariter denegamus, cum hæc eadem potestas subditis videtur aliena, nam quin ad jus superioritatis hoc optimè referri possit, non dubitandi ratio apparet.

§. XVII. Subditorum non est Bellum gerere, nam jus speciale Majestatis dicitur: Jus Belli indicendi, & suscipiendi autoritas ad effectum supremæ jurisdictionis & Potestatis summæ refertur. *Meinlingf. Lib. 2. cl. 3. c. 1. n. 11.* Unde Læsæ Majestatis reus dicitur, qui Principe non jubente Bellum gerit, delectum habet, Exercitum comparat. *l. 3. ff. ad L. Jul. Majest.* Nec ulli Imperatore inscio ac inconsulto, quorumlibet armorum movendorum copia tributa est *l. un. C. ut Armor. us. insci. Prin. interdict. sit.* Ideò Bellum superiori Magistratu non mandante subditis gerere illicitum.

§. XVIII. Bellum indicere gerereq; cum subditorum conditioni

tionem repugnat, nec foedera ferre iis permittitur. Jus enim Belli & Foederum, pari passo ambulant, nec minus jus contrahendi Foedera quam belli indicendi, ad Supremam Majestatem & eos qui ejusdem jura habent, non alios pertinent, *Hippol. de Lap. part. 1. c. 9.* Nulli igitur nisi summo Magistratui jus foedera pangendi competit, subditi enim cum in tutela sint superiorum, aliorum auxilium requirere non opus habent, sine contemptu & praedjudicio Domini, multo minus inter se conspirare, & Foedera tentare concessum, conjurationi nam & conspirationi similior foret illa societas quam Foederi. Sed cum ipsimet à Domino legitimo deseruntur, quo minus communi jure utentes, salutem quovis modo procurent foedusque cum alio ineant minus obstat. Foedus tamen contrahendum ita, ut Domino etiamnum fideles, gratiam ejus non amittant.

§. XIX. Protectioni alterius Subditi sese submittere non possunt, Magistratu ordinario contradicente. Hoc enim modo ordinarii Magistratus Autoritas minueretur valde, quasi vires prohiberent, suos tueri subditos, & hinc reverentiam & obedientiam quam debent Magistratui, subditi denegarent facile; Invitarentur porro ad peragenda mala, cum scirent eos protegi posse à Principe externo. Secus vero statuendum reor, si subditis sint aequae & idoneae rationes vel causae protectioni alterius sese submittendi: Veluti si ordinarius Magistratus detrectat opem ferre Subditis ab alio pressis; vel cum potentia defendendi careat; Aut si à Magistratu ordinario contra jus fasque admodum subditi graventur, Protectionem tunc quaerere, subditis non illicitum. Attamen non facile prorumpant, ad arripienda haec media, in extrema demum necessitate ad hoc refugere auxilium decet, si scilicet aliter securi salvi que esse nequeunt, nisi protegantur ab alio. Haecce allegata causa si non subest, subditos alienos in protectionem recipere nemo Principum potest, quod confirmatur in R. J. de Anno 1529. §. 10. Wir auch Churfürsten &c. haben uns eiumütiglich verglichen/ daß keiner des andern Unterthanen des Glaubens oder ander Ursachen halber in sondern Schutz und Schirm wider die Obrigkeit nehmen soll. Item in R. J. de anno 1555. §. 23. Es sol auch kein Standt.

§. XX. Non proferre audeo Subditorum esse resistere Magistratui superiori legitimo, etiamsi ab ipso injusta mandantur,

quæ DEi præceptis contrariantur. Verum absit quod innuam, ei hoc casu obtemperandum esse, DEi enim Præceptis major quam hominum debetur reverentia. Esse tamen nefas duco armata manu eum oppugnare, preces tunc arma subditorum esse existimo, hisce submisso adeundus Magistratus, petendusque ut abstineat illicita præcipere. Si obedientiam adhuc exigere non desistit, è ditione potius discedere subditum debere. *Libenthal* autor est, in *Coll. Polit. Exercit. 15. q. 1.*

§. XXI. Rebelle haud subditos decet: alia nam iis relicta media, si quid difficultatum aut simulatum oriatur, id absque tumultu, seditione ac inordinata coitione componi potest. Nec suffragium eorum conatui datur, etiamsi justam prætendant causam, plerumque tamen injustæ moventes rationes rebellionis adsunt, licet justissimam prætexant; Querelas quidem inferre bene docti, opprimi à Principe eos duriter; Libertatem præ se ferre assiduus mos; Durum inquirunt servitia ferre. Cum ex otio nimia aut societate aut superbia pravaque contumacia eò compelli solent, ut rebellionis fiant autores. Catilina conjurationis sociis idem fere proponit. Fingit omnem potentiam, honorem omnem & divitias apud indignos esse, alienæ superbiæ eos esse ludibrio conqueritur. Ideo hæc diutius se pati nolle, querere libertatem, in eam sequere sociosque vindicare, ipsi animus esset. Caterum avitum malum, regnandi cupido vexabat Catilinam, libido hunc invaserat Reipubl. capiundæ, neque id quibus modis assequeretur, quidquam pensi habebat. Subditorum idcirco tantum pessimi rebellionem fieri amant, & ii quibus opes nullæ sunt, bonis invident, malos extollunt, exosi veterum, nova appetunt, suarum rerum odio mutari omnia stident. Hanc ob causam pœnam non effugiunt rebellatores, quia tantum rebellionem Subditorum malitia parit, qua se & Reipubl. obstinatis animis perditum eant. Eadem manet sententia etiam de iis qui justam rebellionis causam habuere. Æquissima enim cujusvis privati & subditorum causa iniqua est hoc in casu, ac idcirco meretur pœnam ubi quis eam persequitur cum præsentè damno Reipubl.

§. XXII. Si inter Principem subditosque lis, adeò ut utrinque quicquam prætendant, qua ratione sit procedendum? De hac  
quæstio



quæstione. *Boxbornii* iudicium in *disquisit. Pol. cas. 15.* audiatur, quod ita: Optima illa est & tutissima agendi ratio in publicis controversiis, in quibus utrinque alius quid ab alio deberi sibi præten- dit, nunquam absolutè aliquid alteri parti in initio adjudicandum, sed ea conditione agendum est ac lege, ut nisi nobis nostrisque post satisfiat, nihil jam ante pro aliis decretum aut factum censeatur. Sic omnia simul agi non possunt eodem temporis momento aut expediri, prudentiæ præscripto in omnem utilitatem, omnia pari- ter conjugantur. In supremis Angliæ conventibus seu parlamen- tis hujus consilii tutissima ratio semper habet locum. Cum enim in iis plurima sæpe offeruntur, quæ aut Rex à Populo & Proceribus, vel Populus & Proceres à Rege deberi sibi contendunt, quo ne Rex pro se decretis initio tantum utatur, in more positum habent ni- hil æstimare & irrita habere priora illa Decreta nisi in sequentibus pro populo aut Proceribus factis Autoritatem etiam suam & assen- sum Rex velit commodare. Nullum istic decretum valet, nisi om- nia valere intelligantur.

§. XXIII. Ambiguum num æquum sit defendere, à Prin- cipe posse deficere subditos. Hoc quidem concessu facillimum, in alicujus Principis Territorio permanere continuè subditos non teneri, absque superioris indultu ea ex Regione migrare, & do- micilium transferre nonnunquam licet: Quippè Princeps prohi- bere jure potest, ne emigrent subditi, quod fieri in Anglia, Scotia, Dania, &c. constat. Illud *Boxbornius* verò in *Disquisit. Polit. cas. 3.* minime negare videtur, docetque de defectione subditos cogitare haud inique, si à Magistratu illegitimo imperii opprimatur liber- tas: Exemplum de Lusitannis gente Hispaniæ contermina, eo- rumque defectionis causas allegat, quæ tales: quod vi potius quam jure ab Hispanis occupatam dominationem per annos jam pluri- mos toleraverint, indiesque sub eorum imperio magis magisque do- mi ac foris sua vel perire vel invadi, increfcere etiam Tyrannidem; Proceres suos neglectos; populum delectu aut tributis exhauriri viderint. *Machiav.* autem in *c. 16. Lib. 1. de Republ.* non obscure asse- rere videtur, admodum haud expedire subditis, deficere à Prin- cipe, sub cujus imperio vivere consueti. Nam quamvis subjectio- nem duram discutiendi occasio data sit, & libertatem assequantur  
celeri-

celeriter, ea tamen frui longè rarò subditi possunt. Cum hanc conservare ignari, itaque sponte sub idem redire jugum solent, & interdum deterius, quam id quod modo excusserant. Hoc demonstrare abunde historicis exemplis pergit, quibus abstinere & de Romanis unicum allegare nobis libet. Tarquinio expulso, optata Romæ vigeat libertas, at eandem defendere conservareq; difficile fuit, protenus aderant qui imperarent, quamvis alio modo. Machiavello simile rationis loco est: Imperata imperantium facere qui assueti, naturam imitantur ferarum, quæ etsi suâ naturâ in sylvis pastum quærere & latebras suas habere solent, sique tamen captiva à teneris annis in carcere nutrita fuerit, ea deinde si in liberos campos libera dimittatur, neque pastum quærere neque latebras, in quibus se occultet, invenire novit, itaque facilè rursus incidit in casses cujusvis, qui illam venari conabitur. Idem accidit Populo qui consuevit sub aliorum imperio vivere, & ad nutum aliorum jubernari. Nam etsi casu quoddam libertatem consequatur, quia modos ignorat, quibus se defendit, eam conservare non potest, servitutis jugum iterum arripit, aut ut arripiat, ab aliis cogitur. Ad quod Machiavelli hoc respondetur, nunquam Subditorum deficientium causa, regi nolle, sed ne duriter diutius habeantur, & libertatè fruantur. Igitur priori rejectò Rectorè, novum appetunt, non eorum animus, absque Magistratu esse, sed habere talem, qui eos eorumque libertatem conservat, quod etiam non fallit si ipsis præest optimus Magistratus, qui partam libertatem bene defendere novit. Porrò non in eo libertatis essentia, Magistratum non habere, sed habere, qui optime regit. Non expellebant Tarquinium Romani, quia nullius Magistratus Imperium agnoscere volebant, sed ut Tarquinii Tyrannidis fines fieret. Quae de causâ allatum simile corrui, quippe quærentes libertatem & eam accipientes populi hanc ob rationem non quæsiere libertatem, ne Magistratus eos imperet, sed ut regnentur à Magistratû non maligno, qui libertatem tueatur.

§. XXIV. Magistratû priorè adhuc existentè subditi eligere novum possunt, si justa subsit ratio, & Imperii salus efflagitet, quo scilicet declinetur periculum imminens, prior si moriretur jamjam, & Interregnum damnosum appareret. Non vetò imperare

perare novo conceditur, si clavum Imperii tenere adhuc valet prior. *Bexborn. in Polit. l. 2. c. 2. §. 7.* hoc idem affirmat, dicendo. Cum verò nunquam vacuum esse debeat Imperii nomen, aut caput, ne fiat occupantium aut adhuc superstite eligi successor debet, ea in Republ. in qua Electionis jure hæc omnia transiguntur. Hoc etiam ex eo possumus probare non absurdè, quod viventibus Imperatoribus Reges Romani sint Electi, sic Ottones, Henrici, Fridericus II. Maximilianus I. Ferdinandus I. Maximilianus II. &c. vivis Imperatoribus Romanorum Reges electi.

§. XXV. Sub Principis hoste militantes subditi jus Subditorum perdunt, nec recipiuntur impune, & licet non prohibuerit Princeps, neminem debere hosti servire, tamen perjurii & Rebellionis reus, etiamsi opem tantum attulerit hosti Principis & contra Principem non pugnaverit ipse, quia fidelitatem Principi promissam violavit, Regionem etiam in qua cujusdam domicilium constitutum defendere decet multo plus si patria est, contra quam peccare, eamque deserere grave delictum, ea indefensa manere nunquam debet, ut & *Machiavello in l. 3. c. 41. de Republ.* perinde, sive id fiat honestè sive ignominia. De Romanis producit Exemplum: Clausi erant Consulès cum exercitibus Romanorum, intra saltus claudianos & à Samnitibus obsessi. His cum Samnites iniquissimas condiciones pacis proponerent, & maximè ignominiosas: Nempe quod omnes sub jugum mittere, & inermes Romam remittere vellent. Consules dubii, totusque Exercitus de eo quod factu opus esset sollicitus, ac propè attonitus erat. Itaque in tanta rerum difficultate, & cum omnium animi territi essent, Lucius Lentulus unus ex Legatis, magno animo suasit, nullas condiciones rejiciendas, dummodo patria conservari possit. Et cum tota res Romana ab salute hujus Exercitus, qui dum obsessus esset penderet: Eum ipsum quacunq; tandem ratione conservandum esse asserbat. Patriam enim defendi oportere, sive id fiat cum honore & gloria, sive etiam cum ignominia. Hic verò si conservaretur iste exercitus, fore ut Roma suo tempore hanc ignominiam aboleret, Rebus præclare gestis. Quod si idem interiret, eoque singulare speciem virtutis ederet: Romam tamen cum ipso perituram, & amissum iri Patriæ libertatem. Cujus  
C  
confi-

consilium Cæteri secuti sunt: Simulque nobis occasionem dede-  
runt observandi, quod in Republ. cujusvis Civis officium sit, qui  
Reipubl. bene consultum cupit. nempe ut spectet ad conservan-  
dam patriæ libertatem, de qua cum agitur, nihil esse debet, quod  
animos nostros in aliam sententiam pertrahere queat. Neq; ab  
hoc scopo avertere quemquam debet, justi, inju sti, crudelitatis aut  
misericiordiæ, non denique Laudis aut ignom inia nota. Hucus-  
que Machiavellus, num vero ejus opinio amplectenda, iis liberum  
relinquo, qui eam defendendam putant. Nos adjicimus ad su-  
pra dicta, justam & contra Principem patriamque pugnandi rati-  
onem non esse, si ab uno horum atroci injuria affectus subditus.  
Quippe cujusvis boni civis munus, contemptis privatis inimiciti-  
is publici boni rationem potissimum habere, optimè *Machiav. de  
Republ. l. 3. c. 48.*

§. XXVI. Nequaquam justum æstimatur, summum in Im-  
perio interficere licitè, nusquam in sacris literis generaliter sub-  
ditis hoc concessum apparet, penitus enim oblivioni tradenda non  
est reverentia, quâ colitur magistratus cunctus, ut vitam demere  
ipsi non turpe ducamus. Hoc quidem adserere impium non pu-  
tamus Magistratum summum posse deponi si ad leges fundamen-  
tales se allegatum novit, subque certis conventis, pactis, & con-  
ditionibus delatam à Populo potestatem habet, si leges fundamen-  
tales enormiter & pertinaciter violet, easque penitus eversum eat,  
non obstantibus ordinum supplicationibus & monitis. Ratio est:  
Quia tunc Respubl. defertur per modum contractus, qui æque u-  
tramque partem obligat: Cujus leges si ab una parte malitiose  
violentur altera amplius non obligatur. *Wendelin. in Polit. l. 3. c. 4.*  
At ut profuse numero viventium tollatur, humanitatis ratio non  
suadet, ut carcere includatur æquius quidem est, nec tamen ad  
id temerè progrediendum. Hæc cædes quantumvis hostium im-  
punita manet raro. Quare Sanctus David à cæde Saulis Regis  
Israclitarum abstinebat semper, persæpe non datum erat Saulo è  
manibus Davidis effugere, sed maculare manus sanguine

Regis atrox facinus esse non ignora-  
bat David.

TANTUM.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

TANTUM



SUBSIDIIUM IURIS

# INDEX

INTERPRETUM ET COLL-  
MINTATORUM ANTIQVO-  
RUM ET RECENTIUM, MAXIME CUIE  
BRATORUM SUPER QVAETOR INSTE-  
TUTIONUM LIBROS, IN ET EXTRA  
GERMANIAM EXANTIAM AD HAEC  
NOTA USQUE TEMPORA  
PRODUCTIS

In gratiam honoris legum iurisperitorum  
publici iuris factus

CHRISTIANO VOLDENBERGIO

Georgii Phil. J. U. D.

Ordin. Præs. P. P.

Magistri

in iure et legibus, hunc librum  
in gratiam honoris legum iurisperitorum

Magistri

in iure et legibus, hunc librum




01 A 6531

ULB Halle 3  
002 937 506




12  
10/17









<sup>37.</sup> *Quod Deus feliciter fieri concedat.* <sup>34</sup>

DISPUTATIONEM POLITICAM  
DE  
**SUBDITIS,**

*Sub Praesidio*  
MAGNIFICI ACADEMIAE MARCHICAE  
RECTORIS,

**DN. JOHANNIS SIMONIS,**

SS. Theologiae Licentiati, Logicae ordinarii, Me-  
taphysicae extraordinarii Professoris Publici;

**DANIEL FRIDERICUS SCHMIDIUS,**

Suevo-Coloniensis Marchicus,  
AUCTOR ET RESPONDENS,

In Celeberrima Francovadana Universitate,  
*Defendendam publicè suscepit*

In Auditorio Philosophorum majori horis consuetis.

*ANNO 1664. die 30. Januarii.*

---

*Frankofurti ad Viadrum,*  
Typis JOHANNIS ERNESTI, Acad. Typogr.

